



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 Vtrum mali peccent dispensando sacramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

tum sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquod debitum esse in sacramento secundum quandam decentiam, & hoc modo debitum est, ut ministri sacramentorum sint boni.

COMMENTARIUS.

In hoc, & sequentibus articulis observandum est, esse quaedam ex parte ministri necessaria ad veritatem sacramenti, ut factum teneat, & effectum habeat in suscipiente non ponente obicem: alia vero esse necessaria ut digne ministraretur, quae duo promittit tractat Divus Thomas in his articulis. Nos vero maioris claritatis gratia, & ut res morales facilius percipiantur, etiam ab his, qui res speculativas minus diligenter & accurate inquirent, ea separabimus: hic solum explicando, quae sunt de necessitate sacramenti, postea vero totam materiam moraliter separatim comprehenderedo. In hoc ergo articulo Divus Thomas agit de necessitate sacramenti, atque ita respondet, malitiam ministri per se non impedire, quin sacramentum fere fiat, dummodo applicet reliqua omnia, quae sunt ad sacramentum necessaria. Ratio est, quia cum minister sit instrumentum non pendet effectus ex forma eius, quae ad instrumenti rationem non pertinet, quia instrumentum non agit propria virtute, & ideo effectus non fit similis instrumento, sed principali agenti. Circa quam rationem solum est advertendum, primariam causam, ob quam bonitas, vel malitia ministri non est necessaria ad substantiam sacramenti, petenda esse ex Christi institutione & voluntate. Nam si Christus Dominus voluisset, potuisset sine dubio instituire, ut sacramenta non essent rata, nisi a bonis ministris conferrentur, sicut instituit, ut quam plura eorum dari possent a ministro consecrato, & non ab alio, seu a viris, & non a feminis. Divus Thomas autem supponens, ut clarum est ex doctrina fidei, Christum ex speciali institutione sua non potuisse in ministris sanctitatem, ut necessariam ad valorem sacramenti: huius institutionis congruentem ratione altere studuit: & ita est ratio facilis & satis congrua. Quia cum sanctitas ministri, non sit futura principium, vel causa sanctitatis conferenda per sacramentum, nulla potuit esse conveniens ratio, ob quam Christus Dominus illam exigeret, ut simpliciter necessariam ad valorem sacramenti. Solutiones argumentorum clarae sunt: solum in solutione ad secundum adnotetur, quod D. Thomas dicit de vitione charitatis, extendi posse eadem ratione ad vitionem perfidem. Nam sicut Christus potest vti, ut in instrumento membro mortuo, sibi que per charitatem non vnito, ita etiam vti potest membro omnino separato sibi que nullo modo actu vnito in aliquo esse supernaturali: quia tanta est efficacia eius, ut possit etiam huiusmodi hominem mouere, seu actione illius vti ad sacramenti effectum praestandum, si aliunde substantiale impedimentum non interuenit.

ARTICVLVS VI.

Verum mali ministrantes sacramenta, peccent.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod mali ministri a-tes sacramenta, non peccent. Sicut enim ministratur Deo in sacramentis, ita per opera charitatis, unde dicitur Hebraeor. vlt. beneficentia & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Sed mali non peccant, si ministrent Deo in operibus charitatis, quinimo hoc est eis consulendum, secundum illud Daniel. 4. Consilium meum tibi placeat, peccata tua elemosinis redime. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

2. Præterea, Quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati secundum illud Rom. 1. Digni sunt mortis non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consenti-

unt facientibus. Sed si mali ministri peccent, sacramenta ministrando, illi qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant. Ergo etiam ipsi peccarent, quod videtur inconueniens.

3. Præterea, Nullus videtur esse perplexus, quia sic homo cogitur desperare, quasi non potens peccatum euadere. Sed si mali peccarent, sacramenta ministrando, essent perplexi, quia etiam quando unquam peccarent, si sacramenta non traderent, puta cum eis ex officio incumbit necessitas (dicitur enim 1. Corinth. 9. Vt mihi non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit) quandoque etiam propter periculum, sicut si puer in periculo mortis existens, offeratur alicui peccatori baptizandus. Ergo videtur, quod mali non peccent, sacramenta ministrando.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 1. cap. Eccles. Hierarch. * quod malis non est fas, nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa. Et in Epistola ad Demophilum * dicit, Talis scilicet peccator, audax videtur sacerdotibus manum apponens, & non timet neque verecundatur, diuinam præter diuinitatem exequens, & Deam putans ignorare, quae ipse in semetipso cognouit, & decipere existimat falso nomine Patrem ab ipso appellatum, & audet immundas infamias (non dicam orationes) super diuina signa CHRISTI formaliter emittare.

Respondeo dicendum, quod aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, ut patet per Philosophum in libro secundo Ethicor. * Dicitur * est autem conueniens esse, ut sacramentorum ministri sint iusti, quia ministri debent Domino conformari, secundum illud Leviticor. 9. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, & Ecclesiast. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesia in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiam Dei, & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se ipsa incommutabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

Ad primum ergo dicendum, quod opera charitatis non sunt aliqua consecratione sanctificata, sed ipsa pertinent ad iustitiam sanctitatem, sicut quaedam iustitia partes, & ideo homo qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur, si vero sit peccator, per hoc ad iustitiam disponitur. Sed sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem: & ideo præexigitur in ministro sanctitas iustitia, ut congruat suo ministerio. Et ideo incongrue agit & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedat.

Ad secundum ergo dicendum, quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesia non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesia, & ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesie, quae eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur (puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat, qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

Ad tertium dicendum, quod ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare, quia potest penitere de peccato, & licite ministrare. Non est autem inconueniens, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet, quod velit remanere in peccato. In articulo tam in necessitate non peccaret baptizando in casu in quo etiam posset laicus baptizare, sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesia, sed subueniret necessitatem patienti. Secus est autem in alijs sacramentis, quae non sunt tanta necessitatis, sicut Baptismus, ut infra patebit. *

1. Ecc. Hier. de ministrando ad fin. Ex epist. 8. q. Incipit, Hieronimus: unum est autem huius parit ante mod.

Ex lib. 2. eth. c. 3. & 6. haberi potest. Et lib. 3. c. 7. rom. 5. Art. pra. ce ad 3.

Quare bonitas vel in a-ntia ministri ad substantiam sacramenti non est necessaria.

4. d. 1. q. 2. c. 2. p. 4. co. c. di. 19. q. 2. c. 2. co. Et d. 14. q. 1. art. 2. q. 2. c. 2. q. 2. c. 2.

Quaest. 67. 2. 1. 4.

Responſio Diui Thomæ eſt, eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ ex officio ad deputatum, ſacramentum in peccato mortali diſpenſare, quia debet in ſuo miniſterio, ſuo principali Domino conformari. De qua cõclutione & ratione, & de difficultatibus, quas D. Thom. tangit in ſol. ti. nibus argumentorum, dicturi ſumus late inferius in diſputationibus moralibus. Hic ſolum occurrunt adnotanda duo teſtimonia Dionyſij, quæ D. Thom. aſſert in argumento, ſed cõtra. primum ſumptum eſt ex capit. i. de Eccleſiaſt. Hierar. quod ſi in rigore litera ſumatur, non videtur conuincere. Docet enim ibi, Chriſtum & Apoſtolos tradidiſſe nobis diuina myſteria ſub ſenſibilibus ſignis, cuius inſtitutionis rationem reddens, ſubdit, Id quæ fecerunt non prophanorum modo cauſa, quibus nec ſigna quidem fas eſt contingere, & tractare, ſed etiam quod hierarchia noſtra, id quod dixi, pro modo noſtro, ſignis cõtinetur, cum negat rebus, quæ ſenſum mouent, ad diuiniorem noſtri exiſtis, ad eas, quæ mente comprehenduntur, reuocacionem. Vbi per prophanos, videtur plane intelligere infideles, qui cum omnino ſint à Chriſto & Eccleſia alieni, ſemper ſunt indigni iudicati, non ſolum contactu, ſed etiam conſpectu ſacrorum myſteriorum: Diuus Thomas vero propter quãdam rationis ſimilitudinem ad omnes prauos, & iniquos, huiusmodi ſententiam ampliauit, & ad miniſtros ſacramentorum & actiones eorum eam applicuit.

Secundum teſtimonium ſumptum eſt ex epiſtola eiufdem Dionyſij ad Demophylum, cuius verba prout à D. Tho. referuntur, obſcuriora ſunt. Iuxta tranſlationem vero Perionij ſunt clariora, quæ ſi habent. Ac mihi quidem videtur auidax & temerarius, ſi quis ea ſibi ſumat, quæ ſunt propria ſacerdotum, neque metu & pudore à diuinorum tractatione præter captum ac meritum deterretur, putatq; Deum ignorare, quæ ipſe ſibi eſt conſcius, & ſperat ſe deceptorum eum, qui à ſe falſo nomine appellatur Pater, & audeatq; ſcæleſtas ſuas (vt ita dicam) maledictiones (nec enim preces dixerim) in diuinis myſterijs Chriſti imitatione proferre. In quibus verbis non videtur loqui Dionyſius de malis ſacerdotibus miniſtrantibus ſacramentum, ſed de illis potius, qui, cum ſacerdotes non ſint, ſacerdotum miniſteria uſurpant. Hoc enim ſignificare videtur illa verba, Videtur auidax & temerarius, ſi quis ea ſibi ſumat, quæ ſunt propria ſacerdotum. Sed licet, in ſpecie hoc appareat, tamen reuera videtur, D. Tho. mentem Dionyſij aſſecutus, nam ſi antecedentia, & conſequentia conſiderentur de malis ſacerdotibus indigne miniſtrantibus loquitur, prius enim ita ſcribit. Quod ſi ſacerdotum Ordo illuſtrandi vim habet, proſecto penitus abhorret à ſacerdotũ ordine atque facultate, iſ, qui illuſtrandi vi non eſt præditus, ac multo etiam magis, qui illuſtratus non eſt. Quo loco (abhorret à ſacerdotum ordine atq; facultate) non ſignificat, non eſſe ſacerdotem, ſed abuti munere, & dignitate ſacerdotis, quod ergo ſtatim ſubdit de his, qui præter captum, & meritum ea ſummunt, quæ ſunt propria ſacerdotum, non intelligit ſolum de his, qui cum ſacerdotes non ſint, ſacerdotalia munera uſurpant, ſed proprie loquitur de ſacerdotibus, qui indigne ſuo funguntur munere, & eodem ſenſu accipiendum eſt, quod poſtea ſubdit. Non eſt iſte ſacerdos, non eſt: ſed inimicus, fallax, irriſor ſui, lupuſq; in gregem Domini ouina pelle armatus. nam quod loquatur de ſacerdotibus, ſequentia verba plane declarant. Nõ tamen fas eſt Demophylo hæc corrigere. Reprehendit enim Dionyſ. Demophylum, eo quod, cum non eſſet ſacerdos, ſed tantum monachus quidam, ſacerdotem obiurgare, ac corripere auſus fuerat.

Locus D. Th. ex duob. locis Dionyſij illuſtratus.

Verum Angeli poſſint ſacramenta miniſtrare.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur, quod Angeli poſſint ſacramenta miniſtrare. Quicquid enim poteſt miniſter inferior poteſt & ſuperior ſicut quicquid poteſt Diaconus, poteſt ſacerdos, ſed non conuertitur. Sed Angeli ſunt ſuperiores miniſtri in ordine hierarchico, quam etiam quicunque homines, vt patet per Dionyſium in libro Cæle. hierar. Ergo cum homines poſſint miniſtrare in ſacramentis, videtur, quod multo magis Angeli.

2. Præterea, Homines ſancti aſſimulantur Angelis in celo, vt dicitur Matth. 22. Sed aliqui ſancti in celo exiſtentes poſſent miniſtrare in ſacramentis, quia charact. ſacramentalis eſt indelebilis, vt dictum eſt. Ergo videtur, quod etiam Angeli poſſint in ſacramentis miniſtrare.

3. Præterea, Sicut ſupra dictum eſt, * diabolus eſt caput malorum & mali ſunt membra eius. Sed per malos poſſunt miniſtrari ſacramenta. Ergo videtur, quod etiam per demones.

Sed contra eſt, quod dicitur Hebraor. 5. Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad eum. Sed Angeli boni vel mali, non ſunt ex hominibus. Ergo ipſi non conſtituuntur miniſtri in his, quæ ſunt ad Deum, id eſt, in ſacramentis.

Reſpondeo dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) tota virtus ſacramentorum à paſſione Chriſti derivatur, quæ eſt Chriſti, ſi cum dicitur quod eſt homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, ſed potius ſecundum paſſionem dicitur modico ab Angelis minoratus, vt patet Hebraor. 2. Et ideo ad homines pertinet diſpenſare ſacramenta, & in eis miniſtrare. non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quod ſicut Deus virtutem ſuam non aligat, ita ſacramentum, quum poſit ſine ſacramentis eſſe effectum ſacramentorum conſeruari, ita etiam virtutem ſuam non aligat Eccleſiæ miniſtris, quum etiam Angeli poſſint virtutem tribuere miniſtrandi in ſacramentis. Et quia boni Angeli ſunt nuncijs veritatis, ſi aliquid ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perſiceretur, eſſet ratum habendum, quia deberet conſtare hoc fieri voluntate diuina, ſicut quedam templa dicuntur angelico miniſterio conſecrata. Si vero demones, qui ſunt ſpiritus mendacy, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum.

Ad primum ergo dicendum, quod illud, quod faciunt homines inferiori modo, ſcil. per ſenſibilia ſacramenta, que ſunt proportionata natura ipſorum, faciunt Angeli, tanquam ſuperiores miniſtri ſuperiori modo, ſcil. inuifibilitate purgando, illuminando & perſeicendo.

Ad ſecundum dicendum, quod ſancti qui ſunt in celo ſunt ſimiles Angelis quantum ad participationem gloria, non autem, quantum ad conditionem nature: & per conſequentes neque quantum ad ſacramenta.

Ad tertium dicendum, quod mali homines non habent, quod poſſint miniſtrare in ſacramentis ex hoc, quod per malitiam ſunt membra diaboli. Et ideo non ſequitur, quod diabolus, qui eſt eorum caput, magis hoc poſſit.

COMMENTARIUS.

Redit D. Thomas in hoc articulo ad explicanda ea, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti ex parte miniſtri, & inquit an neceſſario ſit futurus homo, vel poſſit eſſe Angelus. Et in corpore reſponder. Primo, neceſſarium eſſe hominem ad miniſtrandum ſacramentum, & reddere rationem, quia miniſter ſacramenti eſt miniſter Chriſti, vt eſt homo, cui in natura conformantur homines, & non Angeli. Quæ ratio continet congruentiam inſtitutionis, nam ratio à priori ex ipſa inſtitutione petenda eſt, vt in art. i. diximus. Secundo, dicit D. Thomas, ſi conſtaret ali-

quod